



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti, pro dote recuperanda; & Ecclesia in bonis Prælati malè administrantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIJS CAUTIONIBUS.

§. I.

Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quoruplex sit hypotheca?

Pignus pro ipso contractu pignorationis acceptum rectè describitur; quod sit obligatio rei licita pro debito, facta, ad securitatem scilicet creditoris. Quia verò pignoris nomine etiam res ipsæ, quæ in securitatem pro debito obligantur, veniunt, idè distinguunt aliqui inter pignus, & hypothecam, ut pignus dici velint ea, quæ mobilia sunt; hypothecam verò dicant ea, quæ immobilia sunt, & dicto modo obligantur: in effectu tamen, ut facile patet, nulla est differentia, & hinc pro synonymis passim accipiuntur. Dividitur autem pignus sive hypotheca, ut alia sit tacita, quæ, licet inter contrahentes de ea nihil sit conventum, ex legis tamen dispositione intelligitur contracta, seu constituta; alia verò sit expressa, de qua expresso consensu inter contrahentes convenit; quæ utraque hypotheca, seu pignus subdividi potest, in generalem seu universalem hypothecam, quæ ad omnia bona tam præsentia, quam futura obliganda se extendit; & in specialem, per quam certæ res in specie oppignorantur.

§. II.

De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti, pro dote recuperanda; & Ecclesia in bonis Prælati male administrantis.

Quod uxor pro securitate allatæ dotis, & hujus restitutione tacitam, sive ipsâ lege constitutam, in omnibus bonis mariti hypothecam habeat, ex utroque jure patet, l. Vn. §. Et ut plenius. Cod. de rei uxor act. cap. ex lit. quinto b. t. ita ut non tantum privilegiata sit hæc hypotheca, & alijs omnibus Creditoribus, quamvis anteriores sint, si tacitas tantum hypothecas in bonis mariti habeant, præferri debeat, sed in optione etiam uxoris sit, si contra tertium bona mariti possidentem agat, pro dote, tacite obligatâ, alternativè petere, vel bona sibi tradi, tanquam hypothecata tacite, vel possessorem cogi ad dissolvendum debitum, cujus causa talis hypotheca constituta est.

Quod autem omnia bona etiam Prælati, vel alterius administratoris bonorum Ecclesiasticorum tacite oppignorata sint Ecclesiæ, pro administratione mala, ratio paritatis probat, à tutoribus, vel curatoribus desumpta, quorum bona tacite hypothecata sunt pro mala administratione rerum ad pupillum, vel

§§ 3 mi

minorem spectantium, ut ex jure Civili patet; cum ergo Ecclesia gaudeat jure minorum *Cap. primo & tertio de integ. restit.* consequenter etiam bona praelati seu administratoris illi tacite hypothecata erunt, pro mala administratione.

§. III.

Quanam res oppignorari, seu in pignus dari non possunt.

EArum rerum, quæ vendi per se ipsas absolute non possunt, prohibetur etiam oppignoratio, tum quod oppignoratio sit species alienationis, tum quod sit via ad venditionem talis pignoris, si debitor sit in mora solvendi, ut constat *ex Tit. ff. de distract. pign.* & hinc primò, quamvis in bonis Ecclesiæ generalis hypotheca constitui possit, ut ex dictis patet, in tali tamen etiam generali hypotheca non veniunt res sacræ, & suppellex sacra, quæ ad divinum cultum pertinent, nisi gravis necessitas haud etiam rerum venditionem permittrat, aut accessoria ratio aliud jubeat, *Cap. nullus 1. h.* quo tamen in casu propriè jus pignoris in re sacra non habet Laicus, cum per oppignoracionem propriè dictam, jus aliquod in re acquiratur, cujus juris in re sacra Laicus est incapax, sed nuda detentio, donec pecunia debita ei solvatur; secundò oppignorari propriè non potest liber homo, *juxta Cap. lator 2. h. 2.* quamvis in casibus quibusdam capi, & incarcerari possit propter debita, dum eorum solutionem expediat, aut fidejussores constituat. Tertio oppignorari non potest res penitus aliena, quamvis enim hæc vendi possit *arg. Cap. Filius 5. de testam.*

pignori tamen dari non potest, cum venditionem rei alienæ per se non venditor obligata maneat, ad præstandam venditionem, juxta superius dicta, non autem si Creditor rem pignori datam vendat in casu morantis solutionis, ad distulendum sibi debitum.

§. IV.

An Prælatus vel Rector Ecclesiæ res seu bona ejusdem oppignorari possit?

QUod non possit in rebus suæ Ecclesiæ specialem hypothecam constitutare, possit autem generalem, ex superius dictis jam patet, cum per generalem hypothecam non sit tam propria periculum rei Ecclesiasticæ venditæ, quale est, si specialiter res aliqua certa obligetur. Quod autem pro propriatione monij necessitate, aut utilitate, res Ecclesiæ, Prælatus oppignorare non possit, etiam habetur *ex Cap. ex presentium 3. h. 2.* cum pignus constitutum possit, nisi in propriis rebus, res autem Ecclesiæ in dominio, aut proprietas Prælati non sint.

§. V.

An, & quanam fructus pignoris sortem sit computandi; & in quibus casibus computare non debeant?

DEbere creditorem, cui res pignoris data est, fructus in de percipere, aut quos percipere potuisset, si negligentia ejus intervenisset, in sortem seu solutionem computare, ita ut si tantum ex fructibus percipit, quantum pignus